

*Doc. 4 (Anno ab Incarnatione Domini
Nostri Ihesus Christi Millesimo
ducentesimo septuagesimo quinto...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Doc. 4 (Anno ab Incarnatione Domini
Nostri Ihesus Christi Millesimo
ducentesimo septuagesimo quinto...)*

1275-03-04

Anno ab incarnatione Domini nostri Ihesus Christi millesimo ducentesimo septuagesimo quinto. Regnante domino nostro Karolo Dei gratia illustrissimo rege Sicilie ducatus Apulie et principatus Capue alme urbis senatore Andegavie Provincie et Folchalquerii comite ac Romani imperii in Tuscia per sanctam romanam Ecclesiam vicario generali regni vero eius anno decimo feliciter amen.

Mense marcii quarto eiusdem tercie inditionis apud Venusium, nos Iacobus regius Venusii iudex Guillelmus puplicus eiusdem terre notarius et subscripti testes ad hoc specialiter convocati presenti puplico scripto fatemur, prudentem virum Vitalem Tuscum civem Venusii recepisse a nobili viro domino Berterando de Balma regio iusticiario Basilicate in quibus regium capitulum erat insertum licteras continencie talis.

Berterandus de Balma regius iusticiarius Basilicate prudenti viro Vitali Tusco de Venusio amico suo salutem et amorem sincerum.

Dudum Petro de Sibilla de Venusio scripsisse recolimus in hec verba. Inter cetera que comprehenduntur in sacris regiis licteris nobis missis capitulum recepimus in hec verba.

Et quia idem Baulinus exposuit quod domus marescalles sancti Gervasii in hostiis et presepiis indiget reparari et expedit quod imbrices tecti eiusdem domus revolvantur ut domus ipsa melius recoperiatur, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus predictam domum marescalles sancti Gervasii in hostiis et presepiis facias reparari et tectum ipsius domus revolvi et decenter reparari diligenti prius inde extimacione premissa ut

equitature eiusdem marescalles possint in eadem domo salubriter et comode commorari, et de omnibus que solveris pro reparacione hostiorum et presepiorum predictorum et revolvendo atque recoperiendo tecto domus predictae marescalles sancti Gervasii ab hiis quibus soluta fuerint recipias ad tui cautelam ydoneas apodixas et ab eodem Baulino scriptum confexionis sue per quod confiteatur domum eandem in predictis per te reparatam fuisse cum cuius noticia et consciencia fieri volumus omnes expensas quas fieri contingerit pro productis et quid et quantum pro productis omnibus solveris et de qua pecunia magistris racionalibus magne curie nostre per licteras tuas scribas. Verum quia in exsequacione predicti regii capituli personaliter vacare non possimus aliis regiis serviciis occupati exsequacionem ipsius vobis duximus pro parte regie curie fiducialiter committendam. Quare vobis ex regia parte qua fungimur auctoritate mandamus quatenus adhibito vobis iudice et notario puplico de terris demanii ac magistris expertis in talibus ad eandem domum predictae marescalles sancti Gervasii vos personaliter conferentes et per eosdem iudicem et notarium inspici faciatis actente si in presepiis et hostiis indiget reparari et si expedit quod imbrices tecti eiusdem domus revolvi debeant ut recoperiatur melius domus ipsa quibus diligenter inspectis per eosdem magistris extimare cum omni diligentia faciatis pro quanta pecunie quantitate reparacio hostiorum et presepiorum fieri potest et imbrices tecti eiusdem domus revolvi poterunt ut recoperiri possint melius domus ipsa et factis exinde de extimacione reperacionis et revolucionis predictae cum forma presencium quinque puplicis consimilibus instrumentis instrumenta ipsa incontinenti ad curiam

destinetis ut ipsis habitis ad totalem execucionem ipsius capituli prout nobis iniungitur procedamus cautos tamen esse vos volumus quod in extimacione predicta non contingat regie curie circumscribi. Verum, quia idem Petrus citatus ad magnam regiam curiam execucioni predictae interesse non potuit execucionem predicti capituli in predicta forma vobis duximus pro parte committendam, vobis ex regia parte qua fungimur auctoritate mandamus quatenus ad execucionem totius predicti mandati Regii iuxta ipsius formam procedatis.

Data Spinaciole primo marcii tercie indictionis. Cuius executionem mandati predicti domini iusticiarii predictus Vitalis volens cum omni sollicitudine adimplere. Nos predictum iudicem notarium et teste ac magistrum Gualterium de Guytoy, magistrum Pascalem et magistrum Robertum de Aligrancia carpenterios de Venusio nec non magistrum Iohannem fabricatorem et magistrum Stephanum moratores de eadem terra olim secundo die predicti mensis marcii ex parte regia requisivit ut una cum eodem Vitale ad domum predictae marescalles sancti Gervasii deberemus personaliter nos conferre et eandem domum inspicere videlicet in presepiis et hostiis et imbricibus si indiget reparari. Nos autem ad executionem tam regii capituli quam licterarum domini iusticiarii supradicti volentes intendere tam sollicite quam devote predicto secundo die mensis marcii una cum predicto Vitale ad eandem domum, predictae marescalles sancti Gervasii nos personaliter contulimus et inspeximus. Nos predicti iudex notarius et testes eandem domum eiusdem marescalles sancti Gervasii indigere in rebus omnibus infrascriptis. Videlicet in revolvendo tecto eiusdem marescalles imbricum miliaris quatuor

bonorum que predicti magistri carpenterii recepto ab eorum quolibet super sancta Dei evangelia juramento cum delatura ipsorum estimaverunt posse haberi in eadem marescalle ad rationem de tarenis auri viginti pro quolibet miliari ad generale pondus pro unciis auri duabus et tarenis viginti. Item vidimus eciam una cum eodem Vitale e inspeximus diligenter fore oportunas et necessarias in presepiis eiusdem Marescalle trabes grossas viginti et predicti magistri carpenterii estimaverunt posse haberi cum incisura et delatura pro tarenis viginti ad rationem de tareno auri uno pro qualibet trabe et pro actandis eisdem trabibus in eisdem presepiis dixerunt fore necessarios magistros tres pro diebus decem et posse haberi pro uncia auri una ad rationem de tareno auri uno pro quolibet magistro tarenos auri duodecim. Vidimus eciam fore necessarias in reparandis ianuis tribus magnis eiusdem marescalle fore necessaria clovorum centenaria tria que estimaverunt ipsi magistri posse haberi pro tarenis auri quindecim et pro actandis ipsis ianuis pro mercede duorum magistrorum sex dierum ad rationem de tareno auri uno pro quolibet magistro pro murandis dictis presepiis et pro manipulis decem pro facienda calce et ministrando necessaria ipsis magistris ad rationem de granis auri decem pro quolibet eorumdem ad generale pondus unciam auri unam et tarenos septem et medium. Que tota predicta pecunia est in summa ad prodictum pondus uncie auri septem et tarenis novem et medius. Unde ad futuram memoriam et tam regie curie quam predicti domini iusticiarii et eiusdem Vitalis cautelam.

Quinque publica consimilia instrumenta exinde facta sunt per manus mei predicti Guillelmi puplici

Venusii notarii signo meo sigillo et subscripcione
mei predicti iudicis et nostrum infrascriptorum
testium subscriptionibus roborata. † Iacobus regalis
Venusinorum iudex. † Ego notarius Georgius de Venusio
testis sum. † Ego Notarius Philippus de domino
Octaviano interfui.